Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ta est in eculeum eius tota sanguine. Astans autem pegasius prin
ceps dixit sancto martyri. Homo sacrifica diis antequam carnes
tue defluant a tormentis que tibi parantur. Beatus mennas
dixit. Non me terrent mine tue quas dicis. habeo enim au
xiliatorem meum dominum ihesum christum sicut scriptum est. Dominus mihi
adiutor est non timebo quid faciat mihi homo. Imitator tene
brarum. sacrilegii persuasor: quia presidi tuo non acquieui. ampli
ora tormenta permittis. Denique ut dixi habeo adiutorem
diebus ac noctibus. in cuius nomine tormenta que subiungis
mihi in refrigerium conuertentur. Preses dixit ministris. Nec
adhuc potuimus uincere duriciam illius. dato ut beatus men
nas martyr christi appensus in ligno dixit. Preses penas que apud
me parue sunt arbitraris me presens apposito meo reuoca
re. Aut nescis quia milites imperatoris mei mihi astantes
custodiunt me et confortant. quousque coronam acci
piam a domino meo ihesu christo. Preses dixit ministris. Trucidate
eum dicentes ei. Cum hos imperatores habeas. cur te fa
teris alium imperatorem habere. Beatus mennas dixit.
Miser es et deiectus qui nescis dominum celi et terre. et blasphe
mas eum qui hominem fecit. et dedit ei gratiam credendi in
filium suum dominum meum ihesum christum. Preses dixit. Quis est is
te rex magnus quem credis quia ipse fecerit hominem. et
dominatur omni mundo. Beatus mennas dixit. Dominus ihesus
christus filius dei uiui. ipse est auctor omnium et creator: ipsi
celestia et terrestria subiecta sunt. Preses dixit ad eum. Nescis
quia imperatores nostri indignantur de isto homine. qui dicitur
christus. Ideoque confitentes eum ipsi preceperunt subire tor
menta. et tu ab hoc homine non recedis. Beatus mennas
dixit. Imperatores uestri irascuntur propter nomen domini mei. sed ego
oro illum ut mihi propitius sit. et eripiat a consilio malig
nantium animam meam. Preses dixit. Et sciebat christus uester quia
hec passuri eratis. Beatus mennas dixit. Sciebat. quia omnia
ipse constituit. et solus ipse archana prouidet. et futura
cognoscit. qui dedit nobis in mandatis docens ut unusquisque
animam suam pro nomine eius ponat dicens. Qui odit animam
suam propter me in uita eterna inueniet eam. Preses dixit
ad eum. Sacrifica diis inmortalibus ne te faciam incendi.
Beatus mennas dixit. Ab initio dixi quia regi celorum
milito. Et quidem tu corpus meum in potestate habes. sed deus
omnium et dominus dominorum et rex regum. ipse dominabitur anime
mee. qui corpus quod tu corrumpis ille mihi integrum restitu
et in illa uita eterna. Preses dixit ad eum. Permitto te
biduo uel triduo ut tecum cogites. et discedas ab hac insania.
Beatus mennas dixit. Iam cogitaui antequam huc uenirem
ad te. et uoluntas mea est hec ut regem meum eternum non
derelinquam. Scito quia apud me iam triduo quod dixisti
tractatum est. et aliud sermonem a me non audis nisi hoc christianus
sum. et idolis tuis non sacrifico. Tunc preses iratus iussit fi

spinas ferreas. et precepit ligari sanctum martyrem mennam.
et sic super eas detrahi. Cumque hoc factum esset. beatus men
nas dixit presidi. Etiam si maiora horum tormenta excogitaue
ris que in me exercere uideris impiissime. ego deum
meum uerum non negabo. sed neque sacrificabo ydolis tuis. Tunc
preses iussit eum diutissime contra humeros cedi dicens ei.
Consule tibi propter tormenta que parata sunt tibi. Beatus mennas
dixit. Scriptum est. Quis nos separabit a caritate christi.
Tribulatio. an angustia. an persecutio. an fames. an
nuditas. an periculum. an gladius. Scias quod quia me creden
tem in deum uerum nulla tormenta possunt diuidere
ab amore creatoris mei. Tunc preses pirrus iussit defer
ri cilicia et cum ipsis fricari plagas quas diuersa tormenta af
flixerant. Beatus autem martyr mennas dicebat. Non sen
tio tormenta tua que mihi infers. quia dominus meus ihesus christus
adiuuat credentem in eum. Preses dixit. Ergo non sentis
tormenta que pateris. Beatus mennas dixit. In ueritate
te dico quia non sentio penitus tormenta tua. domino meo
me adiuuante. Omnibus enim timentibus eum adest christus.
et corroborat quousque coronentur. prestans eis refrigeri
um inter tormenta. et refouens corpora et animas eorum. Tunc
iussit preses afferri lampades ardentes et supponi cor
pori eius dicens. Vel sic forsitan duriciam eius flectam.
Allato autem igne et supposito ei. per duas fere horas nullum
uerbum ad presidem dixit. sed tantum clamabat ad dominum di
cens. christe deus adiuua me. Dicit ad eum preses. Non sentis
ignem. Beatus mennas dixit. Dominus meus me confortat
pro cuius nomine hec patior. et ideo non timeo tormenta tua.
sicut scriptum est. Nolite timere eos qui occidunt corpus
animam autem non possunt occidere. sed potius eum timete
qui corpus et animam potest mittere in gehennam. Dicit ei preses.
Homo militaris unde nosti scripturas diuinas. Beatus
mennas dixit. Deus meus docuit nos dicens. Cum ducti fueritis
ad reges et presides nolite cogitare quomodo aut quid loquami
ni. dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim
uos estis qui loquimini. sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.
Tunc impiissimus preses iussit ministris dicens. Cedite uultum
eius. Beatus autem martyr contentus omnia perdurabat. Tunc helio
dorus curialis ait. Domine preses audi consilium meum. Quoniam
genus christianorum preceptis principum obedire contempnit. et
libentius magis habet mori quam uiuere. da illi sententiam.
sed et puniri eum iube. et amplius noli laborare. Tunc autem
preses dixit ad eum. Sacrifica diis et dirigam te cum honore ad
numerum tuum. et scribam de te bonum tribuno tuo. Beatus mennas
respondit. Honor uester periturus est. ego autem studeo ut mi
litiam in celis accipiam. sicut scriptum est. Nostra autem militia
in celis est. Ista autem corruptibilis est non accepta apud deum.
Tunc pyrrus preses uidens constantiam eius. ita exorsus est.